Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

filio dei assumptum non fuisse anathema sit. Quia etiam in pluribus scripture locis huiusmodi utitur locutionibus. Ille homo autem a verbo est assumptus. ille homo factus est christus. Et propheta de homine christo loquens deo ait. beatus quem elegisti et assumpsisti. Ex quibus consequi videtur quod aliquis homo assumptus sit a verbo. et ita persona a persona sit assumpta. sed quia hoc nefas est dicere aut sentire. premisse locutiones eisque similes secundum hanc intelligentiam sane accipi debent. ut homo christus sive homo ille sive quidam homo dicatur assumptus a verbo. sive unitus verbo. non quia hominis persona sit assumpta vel unita verbo. sed quia anima illa et caro illa assumpta sunt et unita verbo. in quibus subsistit persona dei et hominis. ut ad hominis naturam non ad personam respicias cum assumptum vel unitum vel quendam vel aliquem in huiusmodi locutionibus scriptura commemorat. Quo circa cum queritur sine proposita auctoritate an aliquis vel quidam homo sit assumptus a verbo. vel unitus verbo. sine distinctione intelligentie non est hic reddenda responsio. quoniam multiplex questio premissa est. sed instantie querentis ita determino. Si de hominis persona queris. respondeo. non. si de hominis natura. dico. est.

De intelligentia harum locutionum. deus factus est homo. deus est homo. an his locutionibus dicatur deus factus esse aliquid. vel esse aliquid. vel non. Cap. xvii.

Ex premissis autem emergit questio plurimum continens utilitatis. sed nimium difficultatis atque perplexitatis. Cum enim constet ex predictis et ex aliis pluribus testimoniis omnisque catholici unanimiter fateantur deum factum esse hominem. et christum verum deum esse et verum hominem. queritur an his locutionibus. deus factus est homo. filius dei factus est filius hominis.